



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

7 De citatione, & viduarum, pupillorum & ecclesiarum priuilegijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

sueros in *pract. tit. de possessorio. num. 27.* asserit, nec dandam esse hanc cautionem, nec actorem hunc, etiam si victus fuerit, teneri ad restitutionem eius quantitatis, quam ex hac causa à reo habuerit, vel acceperit. Eandem opinionem probare conatur Boerius *decis. 324. col. 2. ex tex. in l. 1. §. inter esse. ff. si mulier ventris nomine in poss. vniuersa calumnia causa esse dicatur.* quo in loco apparet, mulierem ventris nomine missam possessionem, & demum victam, non teneri ad restitutionem alimentorum, quae ventris nomine perceperit, nisi per calumniam in possessionem venerit. Alii vero loci, qui ad hoc adducuntur, mihi admodum abesse videntur ab huius opinionis probatione. quoniam & *text. in d. §. inter esse.* speciale quid statuit in fauorem ventris: cum satis sit alia non alendum, quam fame necare alendum: eum equidem, qui omnino bona, & alimenta habiturus foret, si vere in ventre conceptus esset, & naceretur: vt inquit Accurs. libi autoritate *tex. in l. 1. §. si sed si certam. ff. de ventre in poss. mit. l. vlt. C. de Carbon. edit. vbi gl. adducit, & not. tex. in d. §. inter esse.* idcirco priorem opinionem censeo iure veriore esse, nec vsquam vidi contrariam admitti. Nam quoties harc alimenta, aut litis sumptus iubetur reus actori exhibere, non aliter id decernitur, quam data idonea cautione de eis restitendis, si forte actoris succubuerit in causa.

Solet tamen dubitari, quoniam quantitas sit de finienda ad haec alimenta, & litis sumptus: & dubio procul hoc est arbitrio iudicis relinquendum. Nec enim certum quid constitui potest pro omnibus negotiis. *arg. l. 1. ad fin. ff. de iure delib. & eorū quae notantur in e. de causis. de offi. del. atque ita receptum esse passim constat, & testatur Rebuff. in d. r. de sent. prouis. nu. 29. & 30. licet Masuerus in *pract. tit. de possessorio. n. 27.* Boerius in *d. decis. 324. col. 2.* & stylus Parliamenti *tit. de prouis. ad fin. eiusq; auctor scripserint*, quartam partem rei vel fructuum, & redituum eiusdem, super qua litigatur, dandam esse, ad haec alimenta & litis expensas. *L. antiqui. ff. si pars heredes. per.**

Postremo in hac questione est omnino considerandum, quod si vbi quis asseuerat se esse alicuius filium, & ea ex causa petat alimenta, vel se illius filium pronuntiare, iudex interim pendente lite, praemissa quadam summaria cognitione, an actor sit rei conuenti filius, compellet reum alimenta exhibere actori donec constet, non esse illius filium per definitiuam iudicis pronuntiationem. gl. quae hunc sensum, comode patitur in *c. 2. qui fil. sui leg. Bar. in l. neget. ff. de alen. lib. idē sentit gl. in vlt. C. de alen. lib. & in l. si quis à liberis. §. si vel parent. ff. de l. agnos. sufficiet autem vnus testis ad huius rei cognitionem summaria. Bart. in *extrag. ad reprimend. in verb. summarie.* vel ipsius petentis iuramentum, aut fama filiationis. *regia l. vltim. tit. 19. par. 4.* Nam & alimentorum causa pia est, quem admodum praeter alios tradunt Alex. in *l. 1. num. 6. ff. sol. mar. & Cate. Cotta in memor. ab. d. ditione alimentorum.* & sane vbi hoc modo ex praesumpta, vel probata summarie filiatione, alimenta pendente lite à parentibus filiis exhibentur mandato iudicis, non repetuntur postea, etiam si constiterit in plenaria cognitione, actorem filium non esse illius, quem vt verum parentem in iudicium vocauit, sicuti gloss. censet in *l. vlt. C. de Carbon. edit. auctoritate text. in d. §. inter esse.* sequunturque gloss. istam frequentius iuris euilis interpretes.*

CAPVT VII.

De vidua priuilegium habente trahendi, & vocandi reum ad curiam principis, quando eo vti possit.

S Y M M A R I A.

1. Vidua habet priuilegium vocandi ad curiam regis eius aduersarios, modo non nescia sit.
2. Famula virgo, quae coelibem vitam agit, an habeat priuilegium viduae?
3. Reclusa an habeat priuilegium vocandi quemcumque ad curiam regis, quo ad primam causarum cognitionem.
4. Vidua, pupillus, & alii habentes fori priuilegium, virum possint eo vti aduersus simile & parius habentes?
5. Vidua habet priuilegium declinandi forum proprii domicilij. Expetendi quod causa tractetur in curia regis, & ibidem exceptione litis capta, quae excludit hoc priuilegium fori, nec restituit aduersus eam datur.

Vidua, quod paulo ante obiter explicuimus, ius hoc & priuilegium habet. vt possit ad curiam regis quos libuerit vocare quoad primam causarum cognitionem, & in prima instantia, quemadmodum probatur in *l. vlt. C. quando imper. inter pap. & vid. l. 41. tit. 18. par. 3. l. 20. tit. 2. ad. par. l. 1. tit. 1. [hodie. l. 1. tit. 1. lib. 4. Recop.] l. 14. tit. 2. lib. 3. ord. [hodie. l. 8. tit. 3. lib. 4. Recop.]*

idem constat ex his autoritatibus, quas in proximo cap. adduximus. Et vere tunc obrinet, cum vidua honestam agit vitam. Semper etenim dum res ista discutitur, statim tractatur, an vidua honesta sit, honestamq; vitam agat: siquidem vidua priuilegia iure viduitatis concessa statim amittit, si luxuriose, aut in honeste viuat, sicuti passim traditur: & in hac specie huius priuilegij expressim hoc not. Andr. Ifern. in *constit. Neapol. tit. de offic. magistror. num. 6.* Matth. de afflict. *lib. 1. constitutionum earundem. tit. 3. §. 4. num. 4. & 5.* Lucas de Penna in *l. 2. col. 2. C. de priuileg. scholar. libro 12.* Felin. in *c. significatiuis. col. penult. de offic. delegat. text. opt. in l. bis solis. vbi Balb. & Salic. C. de reuoc. denat. Authent. eiusdem panis. C. de secund. nup. quo in loco Ioan. Carronius *nu. 20.* multa hac in re tradit. Quibus & illa fere similis est quaestio, an vidua propter stuprum, dotem, & alia perdat, quae iure, ac titulo matrimonij pristini obtinuit, & obtinuisset, si castam egisset vitam: quam equide quaestio nem ipse olim examinatum in epitome ad quartam *Decretal. 2. part. c. 7. §. 6. nu. 10.**

Saepe tamen contingit dubium illud, quod quaeritur, an ea foemina, quae coelibem vitam agit, nec vsquam virum habuit, nec de nuptiis tractat, etiam maior sit, habeat hoc ipsum priuilegium. Accurcius etenim in *l. malum. in verb. viduam. ff. de verb. signi. adeo dubius est, vt nec certam sententiam elegerit.* scribit tamen Iuriconsultus in *d. l. malum.* viduam etiam dici eam, quae coelibem vitam egit, nec vsquam virum habuit, ex eo dicta, quod sit sine duitate, vt va cors, va sanus. Quomobrem quidam existimant, idem in hac, quod in vidua dicendum esse: huiusq; opinionis sunt Azo in *summa. C. quando imper. inter pupil. & vid. vbi eandem opinionem probant Cyn. Olor. Alber. Bart. & Fulgof. Io. Lup. in c. per vestras. de donat. inter vir. & vx. 2. not. ab. nu. 12.* Guid. Pap. *decis. 566.* Andreas Ifern. in *constit. Neapol. tit. de offic. magistr. instituti in constitutione statuum, nu. 10. & Matth. de Afflict. ibi. lib. 1. tit. 37. nu. 29.* Rebuff. in *leges regias. 1. tom. tract. de sent. prouis. art. 3. gloss. vlt. col. 2.* est & hac opinio communis, vt testatur Fulgo. in *d. l. vnic. contrariam tamen sententiam mihi videtur eligere gl. in d. l. vnic. dū hac vltimo loco ponit, quam sequitur ibi Fran. Accur. Quibus suffragatur *tex. ex duo Hieronymo in epist. ad Fabiolam de veste Sacerdotali in c. vidua. 34. dist. vidua enim, inquit, est cuius maritus mortuus est.* Huc etiam pertinet quod ex propria significatione, & stricta vidua dicitur ea, cuius maritus mortuus est, non ea, quae nunquam virum habuit, siquidem Iuriconsulti, responsum in *d. l. malum.* ex lata significatione procedit, vt placet Socin. in *c. ex tenore. de foro compe. num. 6.* Fel. in *d. c. significatiuis. de offi. deleg. nu. 8. & Alciat. in d. l. malum.* Hec vero lata significatio non est admittenda in hac quidem specie, & in hoc casu, vbi agimus de priuilegio aduersus iuris communis regulas exorbitanti. Deinde communis vsus loquendi, qui maximam in his rebus auctoritatem habet, *l. liberorum. §. quod tamen Casinus. ff. de leg. 2. viduam illam appellat, quae maritum habuit, & amisit, non autem eam, quae coelibem vitam egit. glo. in d. l. malum. Abb. in d. c. ex tenore. ad finem.* Quibus sane rationibus ipse adducor, vt existimem, hoc priuilegium, cuius metio fit in *d. l. vnic.* his tantū viduis concessum esse, quae maritum habere, nō his quae coelibem egere vitam. Huic sententiae non oberit *tex. in d. l. malum.* Nam praeter aliam responsonem, quam ex Socin. item & eam, quam ex Panor. adduximus, apparet Iuriconsulti responsum potius pertinere ad quandam vocis similitudinem, & analogiam ad veram dictionis etymologiam. Quod Alciatus argute ostendit ea ratione, quia vidua habet illud, *vi. breue. Quid. 1. Pastorum:**

suscipiet in vidua tristitia signa domo.
Sed si vidua dictio composita fuisset à *ve.* & *duitate*, deberet longo accentu produci prima syllaba, cum ea longa sit *in p. e. cors, & va sanus.* Obstat etiam Iuriconsulto, vt illa non sit vera etymologia, quod vidua dicitur ab *iduo. iduas*, verbo antiquo, quod *diuidere, separare, & priuare* significat, inde *idus*, appellat diem diuidentem mensem. Hinc Horatius libro 4. *carminum. Ode 11. ad Phyllidem, inquit:*

*Idus tibi sum agenda,
Qui dies mensem Veneris marina
Finit Aprilis.*

Vidua igitur dicitur quasi à *virō separata, eo priuata, seu orbata marito:* authore Macrobo, *lib. 1. Saturnal. c. 15.* Hoc ipsum notant Hugutio, Io. de Fantucis, & Archid. in *d. c. vidua* atque hinc deducitur viduare verbum pro priuare, & orbare. Virgil. *S. Aenidos:*



Tot ferro seu dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.

Quo in loco, inquit Sernius, Proprie viduasset dixit, quia urbs est generis feminini: tamen & verbum idem masculis aptari solet. Sic & Homerus lib. 9. Odiss. insula, quæ hominibus carebat, ἀσπὴν ἄσπιδος dixit, quasi vidua esset hominibus, & habitatoribus privata. Eadem locutione usus est Plutarchus in Magno Pompeio, & Herodot. in Erato: ἄσπιδος ἄσπιδος ἔσπιδος, quamuis vulgo illi c legatur ἔσπιδος.

Cæterum, quia Cyn. Alb. & Bar. in d. l. vnica, existimant, arbitrio iudicis relinqui, quæ personæ miseræ aut miserabiles dicantur, vt his hoc privilegium conueniat, fortassis communis sententia tunc obtinebit, vbi aliqua femina iam grauis ætate, honesta quidem, & quæ vitam cœlibem à iuventute castissime duxerit, præsertim vbi ex hoc non immineret castissimum præiudicium illi, qui ad iudices curiæ vocatur actioni propositæ responsurus, atque ita iuxta hanc opinionem semel vidi hoc in Granatensi pratorio pronunciatum fuisse, cum quædam honesta femina, maior quinquagenaria, quæ nusquam maritum habuit, huius civitatis incola petisset apud curiæ iudices regio quoad primâ causâ cognitionem quandam vocari, vt actioni ab ea deductæ in iudicium responderet.

Est & in hoc eodem tractatu obseruandum, hoc privilegium concedi, etiam feminis, quæ maritum habent, si is sit eis inutilis: nempe quia esset captus ab hostibus, exul vel damnatus ad triremes regias: quod in specie tenent Fel. in d. e. significandis. de offic. deleg. n. 8. & Rebuff. in d. gl. vlt. 2. col. Nam & Accurr. in l. vlt. C. ad leg. Fami. de plagiar. asseuerat, viduam dicit eam, quæ maritum habet inutilem: cuius glo. maxima cum laude meminere Iaf. in l. vlt. ff. de offic. eius, cui est mand. iuris d. Barb. in d. e. significandis. col. 1. Alci. in c. 1. de præscript. 4. not. vbi est tex. ad hoc, & in cap. inter corporalia. de translat. Episc. in c. 1. glo. in verb. inutilem. late Catel. Cotta in memorabilib. d. thione, vidua.

Habent præterea viduæ aliud privilegium, quo pupilli, & similes personæ etiã vtuntur, vt non teneantur extra proprii domicili forû apud curiæ iudices regio cuiquam agendi respondere, cuiuscunq; privilegii ratione, quod traditur in d. l. vnica. C. quando imper. pup. & vid. & hoc est privilegium distinctum ab altero, cuius hæc enus mentione fecimus: quem admodum eleganter distinguit Regia l. 4. tit. 19. par. 3. & Doct. in d. l. vnica. Matth. de Affl. in d. d. i. consil. Rub. 37. lib. 1. n. 14.

Verum de ecclesia dubitatur, an habeat hoc privilegium, quo possit reum laicum apud curiæ iudices regio conuenire extra proprium domiciliû? quam quæstionem tradidit Andr. Ifern. in consil. Neapoli. statim n. 3. & ibi Matth. de Affl. n. 16. dicentes, in regno Neapolitano decisum hoc olim fuisse, & decretum à Rege Roberto filio Caroli secundi, cū esset is sui patris vicarius. Quæ ratione in ea Republica ecclesia habeat privilegium istud, quod vidua, & pupilli habent, tamen iure communi non possit hoc probari: quia dicit l. vnica. C. quando imper. non loquitur, nec tractat de ecclesia: nec censetur ecclesia miserabilis persona: licet vbi ecclesia fuerit propria re priuata, autoritate expoliata, possit expoliatorum, etiam laicum coram quo maluerit iudice ecclesiastico, vel seculari conuenire. Io. And. & Doct. in cap. sit generale. de foro competent. Alexand. in consil. 103. ad fin. lib. 5. qui fatetur, hanc opinionem esse communem. Idem asserit Ioan. Imol. in cap. si clericus. de foro competent. vbi hoc ipsum omnes Canonistæ frequentissimo suffragio admiserunt. Idcirco ecclesia poterit eligere iudicem ecclesiasticum secularem cum agere velit contra laicum pro re, quæ per dolum aut violentiam ei fuerit ablata. Et tamen hi Doctores nec tractant, nec asseuerant, in hac specie laici posse ab ecclesia conueniri apud curiæ regio iudices extra proprii domicili forû. At in hoc Castellæ regno receptum est, posse quo ad primam causarum cognitionem, laicum vocari ad curiæ regiæ tribunal ab ecclesia: si ea sit monasterium ex quatuor ordinibus mendicantibus: scilicet, S. Franc. Diui August. Sanct. Dominic & Carmelitarum, vel sit monasteriû monialiû cuiuscunq; ordinis, & instituti, aut pauperû hospitalis, etiam si ecclesiæ istæ diuites sint, & pingue, ac opulentum patrimonium habeant. Hoc etenim vsu iam diu ita obtinuit ex pragmatica constitutione Regum Catholicorum, Ferdinandi & Elisabeth l. 56. quæ prohibet, tabelliones, notarios, & alios fori officiales ab his exigere laboris salarium, aut stipendium. Quamobrem videntur ecclesiæ istæ similes censerî pauperibus, & his quibus privilegium d.

vnica, competit. Idem erit in ecclesia, quæ vniversitatem, & collegium constituit: tandem quæcunq; ecclesia hoc ius monialium quarumcunq; & monachorum mendicantium monasteria, cæteræ ecclesiæ pauperes minime censentur, quo ad immunitatem solvendi laboris stipendia, vsu Forensi hoc privilegium dicit l. vnica, quia minoribus pupillis, quorum res sub tutorum arbitrio sint, similis censentur à iure. capit. 1. de integ. restitu. quo in loco latius hæc similitudo disputatur, & rursus in e. audit. eod. tit.

His accedit, quod licet iure regio sit à iudicibus ad definitionem sententiam, causarum examinatio expedienda ordine quodam in albo iudicario descripto: quod quidem album tabulam vulgo dicimus: sicuti pragmatica Regum Catholicorum 40. statutum est: & deinde edito ac decreto Augustæ Elisabeth Caroli Cæsare absente, anno 1530. et visitatione Petri Pachici, nunc Cardinalis Seguntini, quod & Philippus Hispaniarum Princeps Caroli patris vicarius vsu potestate iterum sanxit: quem admodum inter Granatensis curiæ ordinationes extat typis excusum, folio 119. & folio 164. tamen causæ pauperum ecclesiarum his similibus, & miserabilium personarum prius sunt definiendæ, ac examinandæ, nõ habita ratione tabulæ, nec huius albi, in quod referendæ non sunt, ex ratione gloss. in ca. in primis. quæstion. 1. notat elegantior Rebuffus in commentariis ad leges regias, mult. de sentent. pronoual. articu. 3. gloss. vlt. m. colum. 4. Deducitur etiam ex notatis per Romanum in l. si vero. §. de viro. ff. de iure matrimonii fallent. 25. Quibus suffragatur & alud Caroli Cæsaris editum, anno 1526. Quo decreuit, causas pauperum & miserabilium personarû breuiter, ac semota dilatione definiendas esse. Extat verò hoc decretum Granatæ typis excusum inter eius pratorii ordinationes. Tandem vsu obtentum est, vt die Sabbati cuiuscunq; hebdomadæ causæ pauperum, & monasteriorum, quæ pauperibus equiparantur, omnino examinentur ad eorum expeditam definitionem.

Hoc tamen privilegium, quod pauperes, & his similes obtinent, minime admittendum erit in causis, quarum estimatio minor sit sex mille quadrantibus, quos ipse marcedinos grecos huius temporis interpretor. Nam pauperes nõ poterunt ad curiam trahere, nec vocare pro his causis aliquid inuitum. Sic etenim Carolus Rex, & Cæsar inuictissimus statuit in Madricio totius regni conuentu, anno 1534. leg. 1. 30. [hodie l. 8. tit. 18. lib. 4. Recopil.]

Est & in hoc tractatu elegans quæstio, an vidua, pauper, pupillus, & his similes personæ possint ad curiam regiam quo ad primam causarum audientiam, & cognitionem vocare aliquem ex his, qui simile privilegium habent, & sane videbitur quibusdam, hoc non esse permittendum ex eo, quod pariter privilegiatus non potest vti privilegio suo contra habentem par privilegium. I sed & miles. ff. de resuscitat. antor. l. verum. §. item queritur. ff. de minor. text. in Authenti. de sanctissimis Episcop. §. sed & hac presenti. collatione. 9. tradidit late Bartolus in Authenti. quas actiones. numer. 3. C. de sacrosanctis. Eccles. & ibi Iaf. idem Iaf. in §. rursus. de actionib. num. 56. Abb. in e. auditu. 2. col. de integrum restitu. Idem Abbas, Felinus, Decius num. 51. & Augustin Beronius num. 451. in e. in presentia. de probat. Hippol. sing. 99. Alber. in l. vlt. vbi est text. elegans, §. ex quib. caus. in autor. ipse idem explicui de præscriptione equeparatæ contra aliam ecclesiam in regul. possessor. de regul. iur. in 6. 2. releq. par. §. 2. n. 4.

Præsertim hoc ipsum constat, quia vterque tam actor, quam reus habet privilegium idem, non in genere, sed in specie in hac causâ: nempe, quod non possit extrahi à proprii domicili forû, & possit ipse quemcunq; ad curiam regiam vocare, vt constat. Est vero communiter receptum, non posse quem vti privilegio proprio aduersus par privilegium habentem, vbi vtunque privilegium concurrerit in eadem causâ speciale. Igitur probatur, quod ab initio constitutum.

Rursus idem constat, quia vtrumque privilegium procedit ab eadem causa, nempe miserationis, & ideo non est locus huic actoris privilegio contra reum par privilegium habentem. iuxta communem omnium resolutionem, quæ probat tex. opt. in c. cum causam. de prob. vbi Panor.

Sed quo melius quæstio ista intelligi valeat, & discutitur, constitutum separatim aliquot casus, qui possunt contingere, atque in his adiciam, quid iure ipse responderem, & item quid viderim quandoque seruari.

Primus etenim casus constituitur in pupillo, qui in iudicium ad curiam regis, quo ad primam causę cognitionē proprio suffulato privilegio vocat pauperem, viduam, vel miserabilem personam. Et plane Matth. de Aff. in cons. Neap. 1. Rub. 36. nu. 35. respondet, hoc fieri posse, nec a reo hoc forum regium recte declinari. Quia causa ætatis, quę naturæ est, debet præferri causę accidentali, quę constat ex paupertate, vel viduitate l. qui habet. ff. de tutel. vbi Bald. teste Matth. de Aff. hoc ipsum notat in specie. Ego vero apud Bal. legi, ætatis causam esse naturalem, ac demique præferendam causę paupertatis, quę accidentalis est: & tamen Bald. non tractat questionem istam, & loquitur, vbi vtraque causa in eadem contingit persona. Idcirco nõ recte inducitur Baldi authoritas ad casum, quo de præiudicio alterius agitur, alterius inquam par privilegii habentis. Deinde fallam esse censet Matth. de Aff. opinionem, quę tamen potest inde rationem habere, quod habens privilegium in specie vti potest privilegio aduersus par privilegii habentem ex eadem causa speciali, vbi prius privilegii ratio maior est, aut fortior. l. verum. §. vlt. ff. de minor. & ibi Bal. Bart. in d. Ant. quas adiones. explicat eleganter Dec. in d. c. in præsentia. n. 51. plura ad hoc allegans. Nos vero arbitramur, in hac questione, quam tractamus, non posse admitti hanc argumentationem, quia non sit maior, nec fortior ratio eius privilegii quod datur pupillo, quam eius, quod datur viduis & pauperibus. Et præterea multis rationibus conabimur hanc tollere in hac parte argumentationem.

Primo, quia Bartol. Bald. & aliorum conclusio procedit, quando privilegii vtrumque est diuersę speciei: in hoc etenim casu Doctores loquuntur: nos vero agimus de duobus privilegiis, quę eiusdem speciei sunt, scilicet circa forū & ab eadem causa procedunt saltem generali: nempe à commiseratione, licet eorū quodlibet procedat à diuersa commiserationis causa.

Secundo, quia vterque hac in parte tam actor, quam reus agit de damno vitando. Reus, inquam, ne cogatur extra proprium domicilium litigare. Atque ideo cessat ratio communis, quę in d. l. veterum. §. penult. admittit privilegii contra privilegium, ex eo, quod actor agit de damno vitando: reus vero de lucro captando: quasi in hac questione à contrario argumentemur, cum reus ipse itidem, vt actor, agat de damno vitando.

Tertio constat, non esse maiorem miseracionis causam in pupillo, qui forsitan diues est, quam in paupere, aut vidua, quę tutorem nullum habet, qui eius res tutetur: quem tamē minor pupillus habet: cuius causa ideo tutior est, quod si deest ullores regulariter dentur, qui promittunt, rem pupilli saluam fore. Igitur non est maior: imo minor in pupillo privilegii causa.

Quarto, si res ista ad contentione deducatur, dixeritque pupillus actor, se posse vti privilegio contra habentem par privilegium: rursus & reus pauper dicet, se velle vti contra pupillum proprio privilegio, quod in hoc habet, vt inuitus non conueniatur extra proprium domicilii forum.

Quinto, esset equidem inutile privilegium, quod habent miserabiles persone, ne possint inuitę vocari ad iudiciū extra proprii domicilii forum, si habes par privilegium posset eas vocare ad curiam regis. Quod manifeste constat, cum quilibet iure communi non possit extra proprii domicilii citari ad curiam regis, nisi ab his, qui habent hoc privilegium vocandi reos ad regis curiam, vt patet. Igitur vt aliquid operetur privilegium datum miserabilibus personis, oportet quod id intelligatur etiam ad petitionem aliorum simile habentium privilegium.

Sexto idem probatur, quia privilegium actoris deuiat à iure communi, & eius regulis: privilegium autem rei iuri communi conuenit, siquidem reus in proprio eius foro & domicilio conueniendus est, actorque sequi debet forū rei iuxta iura vulgaria. Sed inter paria habentes privilegia, præfertur is qui habet privilegium iuri communi conueniens, aut saltem magis consonum regulis iuris. notant Bald. in l. si quis in graui. §. vlt. & in l. sequenti, incipienti, qui posthumos. ff. ad Syllan. Aret. cons. 83. col. 4. Dec. in d. c. in præsentia. de probat. num. 51. ergo reus miserabilis persona habens privilegium, quod non possit extra proprium domicilium conueniri, cum hoc sit iuri communi magis consonum, præferendus erit actori habenti privilegium contrarium regulę iuris communis, vt possit quemlibet ad curiam regis vocare.

Septimo, hæc eadem opinio deducitur ex praxi, & vsu, qui diu apud Hispanos obtinuit in expediendis literis regis in fauorem viduarū quę Regem ipsum, ipsiusque summos iudices elegerunt ad cognitionem & decissionem propriarum causarum. Dantur etenim literę Regię ad inferiores iudices, quibus eis interdicitur cognitio causarū huiusmodi, & litium, quę proprię viduarum sunt, ipsi viduis inuitis, & declinantibus inferius tribunal, ac postulantibus earum causam ad curiam regiam remitti. Quę quidem literę solis viduis dantur, non aliis miserabilibus personis. tamen lex vnica. C. quando imperator inter pupil. & viduam. ac leges regię pari ratione & iure de omnibus tractauerunt. Demique in huic legibus agitur de privilegio miserabilium personarum, vbi ipse personę agere velint: at si conueniantur & vocentur ab aliis ad iudiciū coram iudice inferiori, quod possint declinare hoc forum, & petere, vt apud iudices curię causę examinentur: nõ cauetur in dicta. vnica. nec in dictis legibus regis, si recte intelligatur Cęsarea responsio, dum inquit, iudiciū nostrę serenitatis orauerint. Et tamen glossa inibi vult, quod possint hę personę iudicis ordinarij forum intra proprium domicilium declinare, & petere, quod apud curię regię iudices conueniantur. Sic enim visum est Accursio ibi in verbo, Perhorrescunt. Quo in loco scribit Cynus secundum illam constitutionis partem tractare casum & speciem, in qua solum agatur & versetur dubium, vbi persona miserabilis agere vult, non vbi ipsa in iudiciū vocatur actori responsura. Idem illic sentit gloss. in verbo, pupilli. Nihilominus literę predictę decernuntur in viduarum fauorem exceptis expressim quinque casibus. Quorum primus est, vbi vidua velit hoc privilegio, aut huic literis vti contra viduam aliam, minorem & orphanam. Item ipse censet, quoties vellet his literis vti contra pauperem, aliamve miserabilem personam. Secundus in causis, quę nondum habent estimationem sex mille maravedinorum: Tertius vbi causa fuerit cępta coram iudice inferiori per litis contestationem absque fori prescriptione & exceptione declinatoria tribunalis inferioris. Quartus, si causa criminalis sit. Quintus vbi actum fuerit de reditibus regis à vidua exigendis. Nam in huic casibus non licet ei viduę, quę vocata fuerit ad iudicem inferiorem, eius tribunal declinare. Ecce, quod primus casus manifeste ostendit visum & praxim huius opinionis, quam modo aduersus Matth. de Aff. probamus.

Octauo hanc interpretationem & intellectum ad legem vnica, absq; vlla distinctione miserabilium personarum, tenent And. Ifern. in consuetud. Neapol. Statutum, Rubrica de offic. magistrj instituarij nu. 4. & seq. ipsemet Matth. de Aff. in d. lib. 1. con. sicut. Neapol. Rubr. 37. num. 10. & rursus nu. 21. idem in decis. Neap. 257. sensere Ioan. Andr. Dom. Anch. & Francus in c. 1. §. & idipsum. de priuil. in 6. optime Lucas de Pen. in l. ne ad diuersa. C. de sisen. lib. 12. post Iac. de Bello viui, quem ad hoc expressim citat.

Secundus tandem casus contingere poterit, quando vidua agens contra pupillum, pauperem, vel aliam viduam, vult vti hoc privilegio d. l. vnica. & plane non poterit eo vti, quod ex prænotatis sit satis manifestum, vt notant And. Ifern. Matth. de Aff. Luc. de Pen. & Iacob. paulo ante adducti.

Tertius erit casus, vbi pauper agit contra viduam, pupillum, vel ecclesiam pauperem, vel itque eos ad regis curiam vocare prætermissio iudice ordinario domicilij. Et profecto eisdem rationibus & autoritatibus Ifern. Matth. de Aff. & aliorum non poterit hoc vti privilegio.

Quartus casus facillime ex his deciditur, vbi pupillus agit contra pupillum: non enim poterit actor reum trahere ad curiam extra proprium domicilium, sicuti apparet ex prædictis, & notant Lucas de Penna, Iacobus à Bello viui, quorum paulo ante meminimus.

Quintus deducitur ab huius controuersię rationibus casus, quoties aliqua miserabilis persona: nempe, vidua, pupillus, vel pauper vocauerit in iudiciū apud iudicem ordinarium ipsius domicilii rei conuenti alium pupillum, viduam vel pauperem: ipse vero reus declinet iurisdictionem illius iudicis, ac petat causam deferri ad curiam regis. Et sane res est, vt mihi videtur, expedita: quod non sit admittenda isthęc exceptio fori declinatoria, quia reus est in malitia, & actor æque privilegiatus elegit forū secundū ius commune, semoto quolibet privilegio, & ideo præferendus sit. Sic etenim visum est Iacob. Luc. de Penna, Ifern. Matth. de Aff.

de Aff. & alijs modo præcitatis. Nec poterit congrue exemplum aliquod huic casui aptari, nisi viduis, quæ habet ex literis regis ius declinandi proprium forum, & proprii domicili tribunal, quemadmodum in primo casu late tradidimus.

Sexto, deinde poterit contingere, quod in eo loco, ubi est curia regia, eiusque auditorium, pupillus, & vidua, vel pauper ad iudicium iudicis ordinarii, & inferioris vocatus nolit hoc tribunal declinare, & tamen vocatus ad curiæ iudices ad petitionem actoris petat obnixè causam ad ordinarium eius loci forum deferri. In hoc equidem casu poterit reus vti proprio privilegio, secundum ller. n. 14. & Matth. de Aff. n. 34. in const. Neap. Rub. 37. quibus suffragatur, quod licet alioqui, ubi reus habet plures iudices ex iure communi, electio sit actoris, vt nos adnotauimus lib. 1. variat. resol. c. 18. n. 6. attamen ubi reus habet plures iudices ex privilegio, ipsiusmet rei est electio, non actoris, auctore Bald. in l. cum clericus. C. de episc. & cler. quæ sequuntur Matth. de Aff. lict. in d. Rub. 37. n. 18. & Barth. Socin. conf. 94. col. 2. lib. 3.

Septimo, ubi quis habens privilegium in d. l. vni. vocaret ad curiam Regis eum, qui non haberet privilegium declinandi curiam, nec petendi remitti causam ad proprium domicilium, tamen si habeat privilegium vocandi aduersarios ad curiam. Nam si reus hic velit obtinere, quod causa ad iudicem proprii tribunalis & domicili remittatur, profecto ex prænotatis constat, non esse hanc causam deferendam ad iudicem inferiorem, sed eam in curia examinandam esse: cum hic reus non habeat ex privilegio duos, aut plures iudices, imo tantum vnum: actor vero habeat privilegium eligendi iudicem, quem vt opinor, reus minime poterit fori præscriptione declinare. Exemplum autem huius casus non potest commode confitui in his, qui nominantur tribunal extra proprii domicili forum, etiam curiæ regie iudicis. Idcirco erit perquirenda persona, quæ huius conclusionis exemplo possit subuenire, ex his, qui agentes possunt ad regis curiam reos vocare, & hac ratione habeant ex privilegio plures iudices: præcise tamen valeant apud regem, vel in proprio domicilio ab actoribus vt rei conueniri, & ideo dicantur vnum tantum iudicem habere, quando ab alijs ad iudicium vocantur: quippe qui non habeant iudicium electionem, id vero fortassis statim constabit.

Octavo, si alicuius castri, villæ, vel ciuitatis communitas actionem aliquam in iudicium deduxerit aduersus eius dominum, & apud curiæ regis iudices, atque ipse dominus iure orphani, & minoris, aut iure viduitatis, similive causa velit declinare regie curiæ iudicium, quo ad primam causam cognitionem, & petat causam remitti ad forum domicili: profecto is non obtinebit, vel ex eo, quod tribunal proprii domicili sit manifeste suspectum in causa ipsius, cuius propria est, quæ inibi exercetur iurisdicção. Igitur in hac specie nec vidua, nec minor & orphanus poterunt vti privilegio, quo alioqui possent etiã apud curiæ iudices conueniri petere, causam ipsam quo ad primam cognitionem ad proprii domicili iudices deferri. Ipsa vero communitas ab ipso domino eiusdem agente, ad curiam regis vocata etiam si dominus maior ætate sit, non poterit hoc declinare tribunal. Communitas etenim alicuius oppidi quo ad primam causæ cognitionem potest à quocunq; ad regie curiæ tribunal vocari, nec id declinare valet: quemadmodum vsu forensi est hætenus satis receptum, & probatur ex l. 37. styli.

Nono, ubi lis esset cœpta per litem contestationem apud iudicem inferiorem proprii domicili, non possit vidua petere, causam istam tractari in curia principis, nec ad eam referri: etiam si vidua iure minoris ætatis peteret in integrum restitutionem aduersus litem contestationem ex causa erroris, quo decepta litem cõtestata fuerit absque fori præscriptione, & declinatoria exceptione. Huius equidem opinionis sum ob fauorem ordinariæ iurisdicçãois, & quia non admodum leditur ex hoc errore minor etiam si Matth. de Aff. in const. Neap. Rub. 37. n. 24. contrarium responderit.

Solet autem dubitari, an privilegium hoc viduarum, & pupillorũ, de quo hætenus egimus, profut litis cõfortibus, & his, qui commune ius cum viduis & pupillis habere cõtendunt. Quia in re maxime obseruanda est responsio Casaris in l. vnica. C. sicut communi eademque causa. Et præterea animaduertendum, an possit commode diuidi causæ cognitio, & examen, quod late tradit & expendit Mauritius Dolanus in tractat. de in integr. restit. c. 185. & sex capitib. seq. eum legito.

Clericus hæres laici, an possit ad seculare tribunal pro hereditatis rebus, & iuribus vocari.

S Y M M A R I A.

- 1 Testamenti publicatio fieri debet apud iudicem secularem, etiam si clericus sit institutus hæres.
- 2 Clericus laici hæres litem coram seculari iudice captam cum defuncto, apud eundem iudicem prosequi tenetur.
- 3 Venditor in emptionis lite prosequi tenetur coram eo, apud quem litem cepit.
- 4 Clericus laici hæres, nondum capta lite apud secularem cum defuncto, pro reo agens est pro actione hereditaria ad iudicem ecclesiasticum, & quia in re regio partitorem.
- 5 Executio instrumenti publici, an possit peti lege regia contra clericum, & contra quo iudice petenda sit.

Vidi non semel disputari, possitne clericus in sacris constitutus, & laici hæres, ad iudicium fori secularis vocari ratione illius hereditatis, quemadmodum potuisset dubio procul laicus ille, cui successit? Quam quæstionem aliquot expositis casibus conabor examinare, & quos ipse scio frequenter discussi apud Forensia tribunalia, quorum definitiuæ conclusionibus distinctis quandoque constat.

Prima conclusio huius rei examini præua sit. Infinitatio publicatiove testamenti a laico facti, etiam si clericus hæres sit, fieri debet apud iudicem secularem. Hanc conclusionem probant Baldus & Corn. in l. omnia testamentaria. C. de testam. Bald. in Authent. clericus. & in l. repetitis. C. de episcopo & clericis. Gulielm. Benedic. in c. Raynuitius. de restam. in verb. & vocem. num. 220. Ioan. Andr. & Abbas in capit. vl. de fid. instrum. Stephanus Aufr. in Clementina prima. de offic. ordin. reg. 2. fallentia 11. Barb. in cap. si hæres. de test. n. 10. quo in loco idem ipse adnotauit. n. 3. est & ad hoc regia lex 4. tit. 2. lib. 5. ord. [hodie l. 1. q. tit. 4. lib. 5.] in 2. cuius parte. Nam prima pars, quæ aliud respondet, deducitur à lege fori nempe à l. 1. 3. tit. 5. lib. 3. fori, quæ fuit etiam comprobata per Regem Henricum tertium in hisce legibus, quas de penis delictorum Anno domini M. CCCCI. in vrbe Terrina tulit.

Secunda conclusio: Lite cœpta contra laicum apud secularem iudicem, eaque pendente si mori contigerit laicum clericus herede relicto, iudex secularis ad definitionem vsque etiam contra clericum causam istam tractabit. Huius conclusioni suffragatur textus in l. venditor. ff. de iudic. ubi Iuric. 3. consultus respondet, Venditorem, qui velit defendere ratione cuiusdam emptorem ab actione contra eum propolita, teneri defensionem hanc prosequi coram iudice, qui de ista causa, & actione cognoscere ceperat. Quæ quidem responsio locum obtinet, etiam si venditor clericus sit, quod cautum expressim est l. 57. tit. 6. part. 1. idem tamen iure communi quoad clericum venditorem, tenent aptissime Bald. Fulg. & Lancel. Dec. ac sensu Albe. in d. venditor. Ang. in l. no. solum. §. quod vulgo. ff. de vsu cap. opt. tex. in l. 1. c. ubi in rem actio. Pan. & Ant. Burgen. in c. vl. n. 16. de empl. idem Abb. in c. quoniam frequenter. §. in alijs. n. 28. & ibi Ant. Card. & Soc. n. 127. in l. no. solum. Anchi. in reg. iur. in 6. q. 17. Bal. in aub. clericus. 3. col. C. de episcopo & cler. Lanfranc. Orianus in tract. de arbitrio. q. 47. Pulchre Bart. Socin. conf. 91. lib. 3. vers. circa plurimam difficultatem. Qui fatentur hanc Opinionem Commune esse Idem asserit Lancel. Dec. in d. venditor. eandem opin. sequuntur, dicentes, eam seruati in regno Franciæ Stephanus Aufr. in d. ele. 1. de off. ord. regula 2. fallent. 5. Gulielm. Benedic. in c. Raynuitius. in ver. & vocem nomine Adolafiam. n. 417. Tamen contrariam sententiam probent, & sequantur Paulus Castr. Angelus & Iacobin. in d. l. venditor. alieuerantes, illud responsum non procedere in clerico venditore. Idem Imol. in d. §. quod vulgo. Ioan. de Platea in l. 3. C. de iure fisci. ex autoritate Accursij ibidem, qui existimat, decisionem iuriconsulti in d. l. venditor. minime obtinere in fisco venditore, quod ibidem Barto. & alii notarunt. Imol. & Angel. Aret. in §. actionum. de actio. n. 19. asserit, opinionem Paul. Castr. seruati in praxi. Ad similitudinem fisci venditoris, qui si velit defendere emptorem ab actione contra ipsum, iam in iudicium deducta poterit causam ab eo iudice eximere, & eius cognitionem deferre ad proprium ad peculiarem fisci iudicem, vt probari videtur quibusdam d. l. 3. cui ex aduerso responderetur, nihil ibi esse speciale in fisco, sicuti Bald. super eandem legem explicat, aut nihil refert fisci privilegium quoad alios, quibus iure idem concessum.